Q. D. B. V.

THESES

DE

VARIIS MORTUOS SEPELIENDI MODIS

APUD SVIONES

ET

URNIS SEPULCRALIBUS

IN

POMERANIA SVETICA

ANNO MDCCXXVII.

INVENTIS,

NUNC PRIMUM

NE MEMORIA REI TAM NOTABILIS

PRORSUS INTERCIDAT,

SED

ALIQUALE HUJUS INVENTI

APUD POSTEROS

EXSTET

MONUMENTUM,

IN PUBLICUM EMISIT

CHRISTIANUS NETTELBLADT,

HOLMIA SVECUS,

J. U. D. ET IN ACAD. GRYPHISWALD. PROF. JUR.

REG. ORD.

ROSTOCHII,

Typis & Impensis IO. IACOB. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
SVECIÆ
SUMMÆ & MAXIMÆ FIDEI
VIRIS,
CANCELLARIÆ REGIÆ
ET
REGNI
PRÆSIDI,
CELSISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO,

DN. ARVIDO HORN,

SENATORI PRIMARIO ET ACADEMIÆ
ABOËNSIS CANCELLARIO MAGNIFICENTISSIMO;

CELSISSIMIS ET ILLUSTRISSIMIS
SENATORIBUS ET CONSILIARIIS

Dn. Comiti AXELIO BANEER,
ET
Dn. Baroni JOACHIMO von DÜBEN,

DOMINIS MEIS INDULGENTISSIMIS,

Digitized by Google

PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

Dn. JOH. HENR. von KOCHEN,

AULÆ REGIÆ CANCELLARIO;

PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS

DOMINIS,

Dn. HERMANNO CEDERCREUTZ,

Dn. OLAVO CEDERSTRÖM,

SECRETARIIS STATUS,

EVERGETIS MAXIMIS:

Digitized by Google

AC DENIQVE

ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS, AC NOBILISSIMIS

DOMINIS,

Dn. HENRICO BUNGE,

Dn. JOHANNI ROSENADLER,

Dn. Comiti CAROLO GUSTAVO TESSIN,

Dn. CAROLO von CARLSSON,

Dn. GUSTAVO BONEAUSCHIÖLD,

Dn. GUSTAVO CELSING,

Dn. JOHANNI FRIED. von SCANTZ,

REGIÆ CANCELLARIÆ CONSILIARIIS,

MÆCENATIBUS SUMMIS.

Digitized by Google

VIRIS
AD ÆTERNITATEM NOMINIS
ET
GLORIAM GENTIS SVETICÆ
NATIS,

QUORUM SALUTE PATRIÆ NITITUR SALUS,
QUORUM CONSILIIS FLORENT ET CONSERVANTUR CIVES,
QUORUM INCOLUMITATE VOTA SUBDITORUM ET EXTERORUM TERMINANTUR,

QUIQUE
RELIGIONIS SINCERÆ PROPUGNATORES,
SALUTIS PUBLICÆ ET PRIVATÆ ATLANTES,
LITERARUM NUTRITORES
MERITO CLUENT;

HOC
ANTIQVITATUM POMERANICARUM
ANNO MDCCXXVII
E TERRA ERUTARUM

SPECIMEN

SUBMISSA AC DEVOTISSIMA M. AC M.
OFFERT AC CONSECRAT

CHRISTIANUS NETTELBLADT, D.

Digitized by Google

CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI, PERILLUSTRES ac GENEROSISSIMI DOMINI.



Gnoſcite ; CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI, PERILLUSTRES ac GENEROSISSIMI DOMINI, quod levidenſe hoc Antiquitatum Pomeranicarum Specimen VOBIS inſcribere auſus fui. Fateor equidem TANTIS NOMINIBUS parum convenire tantulum opuſculum: & nihilominus tamen auſo meo veniam datam iri, ſpem facit fama benigniſſimi patrocinii, quo omnes eos, qui bonis literis excolendis pro

Digitized by Google

virili incumbunt, complecti soletis. Eterim & ego eo animo laborem hunc suscepi, ut incrementa literarum, & earum quidem potissimum, quibus ab humanitate nomen impositum est, promoverem. Antiquitates enim Pomeraniæ Sveticæ Thesibus hisce illustrare conatus sum; quas cum incultas prorsus jacere intellexissem, in lucem è terra protrahere Anno MDCCXXVII. coeperam, cum invidia & prohibitio Dominorum fundi me incoepto desistere cöegerunt. Quamobrem cum pauca illa, quæ detexi, ne memoriâ prorsus interciderent, hoc schediasmate describenda duxissem: VOBIS illud, DOMINI INDULGENTISSIMI, EUERGETÆ AC MÆCENATES MAXIMI, fretus indulgentia VESTRA, sacrum esse jubere non dubitavi; idque tum ut animi mei devotissimi hoc qualecunque exstaret monumentum, tum ut Antiquitatum Pomeraniæ nostræ ulteriorem investigationem VESTRÆ providentiæ commendandi

Digitized by Google

mendandi locus esset. Habemus enim in his oris colles sepulcrales bene multos; quorum licet non omnes, attamen perplurimos monumentis Antiquitatis foetos esse, haud ex vano conjicimus. Neque tamen, quantum rescire potui, vel olim, vel nostra memoria, in iis eruendis quisquam sumtus operamque justam adhuc collocare voluit. Jacent igitur, proh bonas Musas! cum communi reip, literariæ damno, nec minori Almæ nostræ Gryphicæ & totius Pomeraniæ dedecore, in abstrusis tumulorum penetralibus prorsus intactæ; atque adeo tantum ab harum rerum inquisitione heic est otii, ut vereri videantur nostri, ne, ea suscepta, vivi à mortuis in exsilium pellantur. Non ita alibi fit; ubi, in tumulis præsertim sepulcralibus perquirendis, nec labori nec impensis parcunt, qui rerum antiquiorum notitiæ pretium statuere sciunt. Absit tamen, ut omnes Viros doctos Pomeraniæ nostræ negligentiæ hujus reos agam. Sunt enim, qui Antiquitatum

Digitized by Google

patriarum cognoſcendarum haud vulgari ducantur deſiderio. Aſt deſunt opes, quibus impenſas, in ſtudium hoc, ſi quod aliud, ſumtuoſiſſimum faciendas, tolerare queant. Quæ res ne poſthac in mora ſit, VESTRA, CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI, PER-ILLUSTRES GENEROSISSIMIQUE DOMINI, benignitate effici poteſt, ſi, quod ſubmiſſe oro quæſoque, certis viris injunxeritis, ut Antiquitates prædictas publicis ſumtibus in lucem protrahant, inventorumque ſuorum rationes VOBIS reddant. Quod ſi precibus meis dederitis, operæ ſumtuumque in res haſce impenſorum me neutiquam poenitebit.


CELSISSIMORUM, ILLUSTRISSIMORUM
PERILLUSTRIUM AC GENEROSISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM

Devotiſſimus & Obſervantiſſimus
Cultor

CHRISTIANUS NETTELBLADT, D.

Digitized by Google

PRÆFATIO.
AD LECTOREM.



Nno abhinc uno, cum dimidio, magna urnarum ſepulcralium multitudo, apud pagum Weitenhagen, dimidio ab hac urbe milliari diſtantem inventa, non in Pomerania tantum noſtra, ſed finitimis quoque regionibus, virorum doctorum ſtudia excitavit. Nemo illo tempore erat antiqvitatis vel mediocris amator, quin urnas haſce videre, locum, unde eruebantur, ſpectare, & unam alteramve domum ſecum avehere cuperet. Nunc autem usque adeo refrixit hæc curioſitas, ut urnas ſepulcrales haud procul pago Weitenhagen inventas, ignoratura ſit poſteritas, niſi privati hominis opera memoria earum conſervetur. Etenim, quod mireris, prope tam celebrem inventas Muſarum ſedem, nec Diſſertatione Academica, aut alio quovis Schediaſmate, deſcribere aggreſſus eſt quisquam, nec ligno, nedum cupro, inciſas orbi erudito ſpectandas præbuit. Quamobrem ne dedecori noſtræ Academiæ eſſet hic neglectus, theſes interim haſce edere in animum iuduxi, donec aliquis haberi queat, qui ſumtus *majori operi*, quod de *modis mortuos ſepeliendi; populis ſeptentrionalibus olim uſu receptis, & urnis Weitenhagenſibus* prelo paratum habeo, publicando ſuppeditet.

Quem laborem, ad profeſſionem meam propriè non pertinentem, dum aggredior, erunt fortaſſe, quibus diſplicebit, me in res haſce aliquid operæ temporisque impendiſſe. Non tranſeundos eſſe Scientiarum limites; &, ſiquidem alia, quam quæ ad juris diſciplinam ſpectant, omnino tractare vellem, præſtantiorem aliquam eligendam fuiſſe materiam, inculcabunt. His cur operoſe reſpon-

Digitized by Google

deam, nil causæ video. Neque enim deerunt viri docti atque cordati, qui & hisce literis pretium statuere sciant; & ad limites Scientiarum non migrandos quod attinet, jam dudum in orbe erudito exolevit superstitiosa illa finium cura, quæ olim in usu fuit. Sunt hodie artes liberales quidem quasi communis eruditorum fundus, cujusquam quisque partem excolere debeat, non legibus determinandum, sed arbitrio cujusque reliuquendum est. Præterea ipsæ inter se cognatione quadam continentur; quod ut de omnibus generatim, ita inprimis de Studio Juris & Antiquitatum dici verissime potest. Sic sane crediderunt JCTi eruditionis fama clarissimi, qui Antiquitates Romanas magno studio illustrarunt. Qvibus cum veteres Romulidarum ritus ingentibus voluminibus excusisse non probro, sed laudi maximæ ductum sit; quis nobis vitio vertat, quod in patriis explicandis subcesivas aliquot horas collocaverimus. Adde, quod in inclita Halensi Academia Professio Juris & Antiquitatum ab uno eodemque Viro per orbem celeberrimo exornetur. Cujus exemplum si & nos sequi allaboraverimus, tantum abest, ut quisquam hunc nostrum conatum pejorem in partem rapere debeat, ut eum potius faventibus eruditorum studiis exceptum iri, haud sine ratione nobis polliceri posse videamur.

Hæc erant, qvæ pro instituto nostro iis, qvibus ut illud satis placeret verebamur, probando dicenda hoc loco existimabamus. Nunc ad Te revertor, B. L. qui si humanioribus delectare literis, nec hæc nostra prorsus invitus leges. Non itaque tam metuo, ne in materia, lucubrationibus nostris, parum digna, desudasse videar, quam necubi in rebus hisce, propter vetustatem obscuris, aliquid humani passus fuerim. Quod sicubi factum est, modeste corrigas, & meliora doceas oro. Neque enim mihi ingratum erit, si mihi errores meos monstraveris; præsertim cum ab iis nemo immunis sit, isque demum laudari præ ceteris mereatur, qui quam paucissimos admiserit. Ceterum si Theses hasce tibi non displicuisse intellexero, dabo operam, ut majus opus, cujus supra mentionem injeci, brevi lucem adspiciat. Interea vale, & mihi favere perge.

THE-

ERRATA.


pag. 4. in Dedicat - lege in in columitate.

pag. 3	lin. 13.	pro	cineret	lege	cineres.
7	-	1	-	Bartholin	-	Bartholinus
10	-	23	-	Acta	-	Nova
11	-	12	-	lectu	-	lecto
12	-	17	-	qui	-	cui
14	-	5	-	til	-	til
15	-	7	-	Sak	-	Sax
17	-	10	-	Trim. 233	-	Trim. I.
17	-	11	-	272 seqq.	-	236, 272 seqq.
20	-	2	-	lit.	-	lib.
23	-	11	-	vidi	-	vid.
25	-	3	-	circumpositus	-	circumpositis
-	-	14	-	Sother	-	Gother.
26	-	24	-	XXIV	-	LXXIV
27	-	4	-	XXV	-	LXXV
-	-	13	-	LVXXI	-	LXXVII
32	-	9	-	BEYERUS	-	BERGERUS
33	-	20	-	nullæ	-	nulla.

Digitized by Google

Tab. I

No. 1.




No. 2.




No. 3.



N. 4



N. 5.



N. 6



N. 7



N. 8



N. 9.



N. 10.



N. 11.




N. 12.



Digitized by Google


Tab. II.



No. 13.



No. 14


No. 15.


No. 16.


N. 17.


N. 18.


N. 19


N. 20.


N. 21.


N. 22.



N. 23.



N. 24


N. 25.

Digitized by Google

Tab. III.
























Digitized by Google



THESES
DE
DIVERSIS MORTUOS SEPELIENDI MODIS APUD SVIONES,
Ut &
DE
URNIS SEPULCRALIBUS
IN POMERANIA SVECICA HAUD PROCUL PAGO WEITENHAGEN A. MDCCXXVII. INVENTIS.

THESIS I.

QVoniam de antiquiſſimo apud Sveones mortuos ſepeliendi modo ſilent annalesp trii; OLAVO MAGNO (1) parum tuto creditur, qui: *morem antiquorum fuiſſe*, ait, *cadavera Principum in frondoſis arboribus, præſertim*

A *querci-*

Digitized by Google

quercinis, tanquam sacris locis, numinibus consecratis, suspendere.

(1) In *Historia Gentium Septentrionalium* Lib. XVI. cap. 2. pag. m. 428. Conf. SCRIBONII GRAPHÆI *Epitome Historiæ de Gentibus Septentrionalibus* Cap. 2. Lib. 16. pag. m. 357. & MESSENII *Specula* Cap. 34. pag. 97. Contrarium defendit WORMIUS in *Monum. Dan.* Lib. 1. Cap. 6. pag. 40.

TH. II.

Cum tamen magno Scriptorum consensu Japhetidæ maturè satis plagas hasce habitare coepisse ferantur, verisimile est, illum ab eis invectum esse modum, qui ipsis antea, dum huc tenderent, placuerat. Sed qualis hic fuerit, cum à nemine traditum sit, licet certo determinari non possit, crediderim tamen cum VERELIO (1) *a primis inde temporibus mortuorum omnium cadavera simplici funerationis officio humo contecta.*

(1) In *Not. ad Hist. Gotherici & Rolfi*, pag. 81.

TH. III.

Temporibus, quorum notitia aliqua, fidorum Historicorum ope, ad nos pervenit, quatuor diversos frequentatos legimus mortuos sepeliendi modos; quorum singulis singulas Epochas tribuemus. (1)

(1) Nonnulli duas, alii tres, alii denique quatuor constituunt ætates. Vid. REENHIELM in *Not. ad Oddi Monachi Histor. Reg. Olavi Tryggvæ filii* pag. 24. & 25.

TH. IV.

Primum locum tenet *ætas sepulcrorum*, quam lingua

gua veteri Gothica *Roisold* (1) dicere possumus. Hac ætate mortui sine multis ritibus in terram defossi, inde humo superinjecta, locus lapidibus circumseptus fuit, ne a bestiis vel hostili aratro cadaver erueretur.

(1) De hoc nomine vid. WORMIUS c.l. pag. 41. Confer. REENHIELM l. c. pag. 25. qui *ætas fuit*, inquit, *qua levi terræ aggestione lapidum solum sepimento, mortuorum reliquiæ circumsepta & custoditæ fuerunt, ne è terra hostili aratro effoderentur.*

TH. V.

Altera *ætas* fuit *Cremationis*, lingua veteri Gothica (1) *Bruna-Old*, qua initio paucioribus, postea pluribus ritibus mortui cremati sunt, cineret autem terra reconditi.

(1) In descriptione hujus ætatis conveniunt Scriptores domestici. Vid. VERELIUS in *Not. ad Hist. Goth. & Rolf.* pag. 81. RHYZELIUS in Diss. de *Sepultura Sveogoth.* P. I. pag. 15. & WORMIUS in *Monum. Dan.* Lib. I. Cap. VII. pag. 41. De Synonymis vid. WORMIUS c.l. pag. 45.

TH. VI.

Ætati Cremationis jungimus tertiam, quæ *Hauga-Old*, id est, *ætas tumulorum*, majoribus nostris dicta; *qua*, ut verbis utar WORMII (1), *cadavera integra & non cremata, cum suis ornamentis, in circulo, ex grandioribus confecto saxis, locabant, aliisque circumquaque tegebant, arenam & glebam terræ exaggerando, usque dum in justam monticuli exsurgeret altitudinem, qui cespitibus & aliis saxis demum exterius exornabatur.*

(1) In *Monum. Dan.* Lib. I. Cap. 7. p. 43.

Digitized by Google

TH. VII.

Postquam Christiana sacra amplexi sunt majores nostri, Christianis quoque ritibus mortuos sepelire coeperunt. Hinc enata *ætas Christianismi;* quæ ceteris sublatis sola inde obtinuit (1).

(1) Ritus funebres hujus ætatis optime descripsit Max. Rev. Archi-Præpositus RHYZELIUS in P. II. Diss. Upf. de *Sepultura Sveogothor.*

TH. VIII.

Initium ætatis sepulcrorum certo quidem determinari nequit. Interim tamen nihil obstare videtur, quo minus eam cum primis Septentrionis nostri habitatoribus hasce terras ingressam statuamus. (1)

(1) Vid. Tract. MSC. Historische Nachricht von denen Gebräuchen derer Nordischen Völcker ihre Verstorbene zu denen ältesten Zeiten zu verbrennen oder zu vergraben, Sect. I. §. 5. ubi hac de re fusius egi.

TH. IX.

Ad ætatem Cremationis quod attinet, mihi eorum arridet sententia, qui initium ejus ad Othinum primum (1) referunt.

(1) Vid. STURLESON. in *Hist. Ynglingor.* Cap. VIII. pag. m. 9. & 10. Quocum conf. SCHEFFERUS in *Upsalia Antiqua* Cap. 18. p. 356. REENHIELM in *Not. ad Hist. Olavi Tryggvæ filii* pag. 25. & 26. SALANUS in *Not. ad Egilli & Asmundi Hist.* p. 139. & *Lundius* in *Not. ad LL. WGgoth.* p. 143.

TH. X.

Ætatem tumulorum cum Freyi sepultura coepisse,

pisse,

piſſe, mihi extra controverſiam poſitum videtur. Eum enim non longe poſt Othini tempora tumulatum teſtis eſt STURLESONIUS (1).

(1) In *Hiſt. Ynglingorum* pag. 12. edit. Peringſk.

TH. XI.

Sepeliendi ratio Chriſtiana cum Chriſtianiſmo in Septentrionem illato coepit. Quod quando factum ſit, inter auctores quidem non convenit. Mihi tamen ſeculo IX. factum videtur.

(1) Retentus tamen fuit a multis, qui ſuperſtitioni Ethnicæ adhærebant, mos vetus; idque per duo ſecula, & amplius.

TH. XII.

Generatim de hiſce periodis, maxime vero ſecunda & tertia, notandum, cum unius initiis, non ſtatim deſiiſſe alteram, ſed plures ſæpe ſimul obtinuiſſe. Poſtquam autem Chriſtianiſmo plane confirmato, penitus exſtirpata fuit ſuperſtitio priſtina, Chriſtiani ritus ſoli in uſu fuere.

(1) Hoc exemplis in Tract. ſup. Theſ. VIII. cit. fuſius illuſtratum eſt.

TH. XIII.

Ritus veterum Sveonum ſepulcrales, & eorum rationes, præterquam ad ætatem ſepulcrorum quod attinet, ſatis accurate a rerum noſtrarum veterum Scriptoribus annotati ſunt. (1)

(1) Vid. STURLES. in *Hiſt. Ynglingor*, l. c. REENHIELM l. c. p. 24. aliique.

Digitized by Google

TH. XIV.

Plerisque, qui in ætate Cremationis ac Tumulorum recepti fuere, doctrina Othini de Walhalla & reliqua Veterum Septentrionis incolarum Theologia occasionem dedit.

(1) Fusius hæc omnia in Tr. meo sup. cit. exposui Sect. I. §. 18. seqq.

TH. XV.

Sic quod in ætate Cremationis mortuos cremare maluerint, quam humare, ideo factum, quod ignem optimum (1) animæ, ad beatorum sedes tendentis, vehiculum existimarunt.

(1) Vid. *Edda Mytholog.* 4. & 40. Conf. RHODIGINUS *Lect. antiqu.* Lib. 17. Cap. 21. pag. m. 654. KOHLIUS in *Spec. Theol Gentil. Cimbr.* Spec. 1. Cap. 2. §. 13. pag. 25. & RHYZELIUS in cit. Diss. Pag. 1. Cap. 3. §. 12. pag. 32. idem de vehiculo igneo jam sua ætate docuit MARESCHALLUS THURUS in *Comment. ad Annal. Herul. Lit. S.* ap. WORMIUM in *Monum.* cit. pag. 45.

TH. XVI.

Uxores in rogum, quo viri earum defuncti cremabantur, sponte sua sese injicere, olim haud insolens erat. Ea enim sola via mulieribus ad Walhallæ beatas sedes patere credebatur, si mortuis maritis, ipsæ manu sibi illata, sese præberent comites (1).

(1) Conf. BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* pag. 506. & passim. REENHIELM c. l. pag. 17. Addi possunt duæ aliæ rationes; quarum una est, quod amorem conjugalem & post mortem in Walhalla continuatum

tum

tum iri credebant (Vid. *Edda Mytholog.* 43. & BARTHOLINUS c. l. pag. 509.) altera, quod ignominiosa erat uxor, quæ maritum sequi detrectabat. Vid. SAXO GRAMMAT. Lib. IV.

TH. XVII.

Servis nihil erat olim exoptatius, quam ut vel cum Dominis, vitæ pertæsis, de præaltis rupibus sese dejicere, vel cum iis una cremari ipsis liceret. Hoc enim demum pacto sese a Walhallæ Domino acceptos iri persvasum habebant (1).

(1) Vid. *Histor. Gotber. & Rolfi* Cap. 2. pag. 11. *Verelius* in *Not.* pag. 27. *Schefferus* in *Tr. de Orbibus aureis in Scania nuper repertis* pag. 15. BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* pag. 291. & ARNGRIMUS JONAS in *Specim. Island Occid. Histor.* Sect. 31. p. 33. Idem de servis Slavorum & Wandalorum affirmat HACHENB in *Germ. Med.* Diss. 12. §. 5.

TH. XVIII.

Heroi in acie cæso, cum cremandus esset, adjiciebantur olim hostes, quos prostraverat. Sic enim non tantum Domino Walhallæ gratior adventurus putabatur, tot fortitudinis suæ testibus comitatus, sed honoratiorem quoque ibi vitam acturus credebatur, victis cæsisque hostibus servorum loco postea usurus.

(1) Vid. *Histor. Ynglingor.* Cap. 27. & Nordländische Konungars Chronicka pag. 6.

TH. XIX.

Equos, canes, & aves venaticas non alia de causa una cum Dominis, vita functis, rogo injicere moris

ris erat, quam quod eorum partim in bellicis exercitiis, partim in delectationibus Heroum Walhallicorum, venatui indulgentium, magnum usum futurum arbitrabantur.

(1) Vid. *Edda Mytholog.* 44. Conf. *Gangu Hrolfs - Saga* Cap. 3. & SALANUS in *Not. ad Egilli & Asmundi Hist.* pag. 137. & pag. 34. SAXO GRAMM. Lib. V. BARTHOLINUS l. c. pag. 424. SCHEFFERUS in *Upsal. Antiqu.* Cap. VII. pag. 71.

TH. XX.

Cumque non dubitarent, quemlibet in Wallhalla idem vitæ genus continuaturum, quod antea exercuerat; artificibus instrumenta suæ artis in rogum adjecerunt, vel tumulis una cum cadavere intulerunt.

(1) Vid. BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* Lib. 2. Cap. 13. pag. 569.

TH. XXI.

Nec dissimilis erat auri, argenti aliorumque pretiosorum ratio, quæ ideo cum defunctis vel cremabantur, vel tumulis inferebantur, ut in Walhalla eo lautiorem splendidioremque vitam, opibus subnixi, agere possent. De qua re exstat lex peculiaris ab Othino lata (1), quam a politicis rationibus profectam tum demum mihi persvaderi patiar, cum demonstratum fuerit, Tacitum de omnibus illis egregiis regulis politicis cogitasse, quas Commentatores sequiorum temporum ex verbis ejus exprimere voluerunt.

(1) Teste *Historia Ynglingorum* Cap. 6. pag. m. 9. Conf. *Histor. Olavi S.* apud STURLESON. pag. 621. RUDBECK

Digitized by Google

BECK in *Atlantica* Tom. 1. Cap. 21. §. 2. Tom. 3. pag. 334. KOHLIUS in *Specim.* cit. pag. 39. & al. pl.

TH. XXII.

Hinc facile intelligitur, veſtimenta mortuis denegare grande olim habitum fuiſſe piaculum. Etenim qui ſine veſtibus ad Walhallam accederet, nuditati perpetuæ, & omnium irriſioni expoſitum iri, nemo dubitabat (1).

(1) Fiolmodus in *Hiſt. Goth. & Rolfi* Cap. 2. *Non eſt bonum*, ait, *abire nudum ad Othinum.* Conf. SCHEFFERUS de *tribus Orbibus aureis* pag. 13. & 14.

TH. XXIII.

Poſtremo, quoniam gaudia Walhallica magnam partem exercitiis bellicis abſolutum iri rebantur majores noſtri, arma defunctorum præcipua cum cadaveribus tumulare aut cremare, olim uſitatiſſimum fuit. Quod ne intermitteretur, potiſſima bellicoſorum virorum morientium cura fuit (1).

(1) Vid. VERELIUS in *Not. ad Hiſtor. Herwora* pag. 81. STURLESON in *Chron. Norweg.* P.I. pag.163. SCHEFF. de *III. orb. aur.* pag. 17. & BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* pag. 499. ſeqq.

TH. XXIV.

Hoc autem præ aliis peculiare habere cenſebantur bella Walhallica: quod qui in iis occumberent, denuo ſponte reſurgerent, & ad pocula conſveta redirent (1).

(1) Vid. *Edda Mythologia* XXXV., ubi ſequentia legimus:

Omnes Mon-Heroës
In area Othini
Mutuo quotidie sternuntur,
Resurgunt sponte,
Ac reversi à cæde
Fragilem confidentes colunt amicitiam.

TH. XXV.

Arma, quæ hodie è tumulis sepulcralibus erui solent, verane sint, an ad horum similitudinem effecta, indistincte nec affirmari, nec negari potest (1).

(1) Consulantur in hac quæstione literæ b. SPERLINGII & RHODII, quorum hic illam, ille hanc tuetur sententiam.

TH. XXVI.

Nonnunquam in tumulis sepulcralibus cerevisia (1) inventa est. Unde tamen non concludendum, hominem ebriosum illic sepultum: sed in more regionis illius positum fuisse, mortuis cibos potumque, tanquam viaticum, subministrare. In Livonia olim satis notæ (2) fuerunt epulæ ferales, quæ mortuis quotannis solenniter instaurabantur. Sed quarum in Svecia nulla adhuc inveniri potuerunt vestigia.

(1) Vid. erleutertes Preussen Tom. III. p. 579. *Acta Liter. Maris Balthici* Anni MDCCXCIX pag. 230. & WEISSIUS in *Antiquit. cit.* pag. 495.

(2) Vid. DIONYS. FABRICIUS in *Compendiosa Livon. Hist. Serie MSC.* P. I. Cap. 2. & M. HERM. BECKER in Diss. Witteb. *Livonia in nonnullis ritib. antiqu. proposita* Cap. 3. §. 3. & 4.

TH.

TH. XXVII.

Ceterum, quibus cibus datus erat, eis etiam cultros, & alia instrumenta, quibus in eo capiendo uterentur, dari conveniens erat. Quod & ab aliis populis, & à nostris majoribus (1) factum invenimus.

(1) Vid. erleutertes Preussen Tom. III. pag. 419. & 550. RHODII *Antiquit. Cabinet* pag. 1. & 2. num. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. 20. &c. & RUDBECK in *Atlantica*, Tom. I. pag. 183.

TH. XXVIII.

In ætate Hauga-Old notandus etiam ritus, defunctos aliquot ante sepulturam diebus in (1) lectu ostentationis publice spectandos præbendi. Quod tempus interea epulis atque compotationibus absumtum (2).

(1) Conf. RHODIUS in *Antiquit. Remarqu.* pag. 27.
(2) Vid. BARTHOLINUS in *Antiquit. Dan.* Libr. 2. Cap. IX. p. 495. qui ad Otheri cujusdam ad Elfredum relationem provocat.

TH. XXIX.

Utrum in feretro, (1) an in sella collocatos defunctos efferre consueverint majores nostri, non satis liquet.

(1) Vid. STURLESON. in *Chron. Norweg.* P. I. pag. 163. & BARTHOLINUS c. l. pag. 502.

TH. XXX.

Augendæ funebris pompæ causa, armillas, torques, aliaque ornamenta funeribus olim prælata fuisse, BARTHOLINO (1) haud difficulter credimus.

Digitized by Google

(1) In Tr. de *Causis contemta à Danis Mortis* Lib. 2. Cap. 10. pag. 502.

TH. XXXI.

Mortuorum cadavera in certis locis, huic usui destinatis, à majoribus nostris cremata fuisse, non inveni. In ætate vero Hauga-Old certis familiis certos tumulos sepulcrales fuisse proprios constat, quos ideo lingua patria Atte-Backar dixerunt (1)

(1) Meminit eorum in *Not. ad Histor. Gotber. & Rolfi* pag. 82. VERELIUS, & PERINSK. in *Monum.* pag. P. I. *Upl.* 215. seqq.

TH. XXXII.

De iis autem, qui, dum viverent, navigatione & expeditionibus maritimis delectati fuerant; notandum, ipsos juxta mare & in navibus suis cremari aut tumulari præoptasse. Scilicet, ut ab elemento eo post mortem tanto propius abessent, qui vivi maxime assveverant (1)

(1) Vid. *Edda Mythol.* 43. Conf. ARVID. BOROENIUS in Diss. de *Scandianorum rebus maritimis* Cap. 3. pag. 77. RUDBECK in *Atlant.* Tom. I. Cap. 7. pag. 183. *Haquini Adalstenii alumni Histor.* ap. STURLESON. in *Historiis Regum. Norweg.* P. I. Cap. 27. pag. 29. & BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* pag. 290.

TH. XXXIII.

Rogus non iisdem semper lignis exstruebatur. Navibus autem propriis (1) cremari imprimis gloriosum censebant.

(1) Exem-

Digitized by Google

(1) Exemplum habemus illustre in sepultura Baldri apud *Eddam*, *Mythologia* 48. & Haraldi, Regis Daniæ, a Ringo, Sveciæ Rege. in campis Browallensibus superati, apud SAXONEM Lib. 8. pag. 147.

TH. XXXIV.

Rogalis flamma quo altius ascenderet, eo mortuus Othino credebatur acceptior. Hinc factum, ut propinqui res, ei ciendæ aptas, magna copia in ignem ingererent (1).

(1) Vid. Hist. Ynglingorum Cap. X. & Rhyzelii Diss. cit. Cap. IV. §. 12. & Cap. 3. §. 13.

Th. XXXV.

Cremationem excepit Ossilegium, quo ossa & cineres defuncti, qui nigredine sua ab cineribus lignorum internosci poterant (1), urna conditi & sic terra obruti fuerunt.

(1) Vid. RHODIUS in seinen Antiquit. Remarques pag. 31, & HECHTII *Bustum Lusatiæ* in *Miscellan. Lipsiens.* Tom. VII. pag. 229. seqq.

TH. XXXVI.

Ustrinæ nullum adhuc in Svecia, quod sciam, inventum est vestigium. Utrum in Holsatia (1) aliqua olim fuerit, judicent alii.

(1) Hac de controversia vid. lit. b. SPERLINGII & RHODII in *Antiquitaten Remarques* pag. 435

TH. XXXVII.

Locum, quo cineres condebantur, majores nostri jam cippis, jam tumulis, exornabant (1)

 (1) Vid.

(1) Vid. hac de re lex Othini ap. STURLESON. in *Hist. Ynglingor.* Cap. 8. pag. 9.

TH. XXXVIII.

His peractis sepultum Othino solenni formula: *Far til. Odens* (1) commendabant, & sic ad epulas funebres (2) festinabant.

(1) Vid. KOHLII *Specim I. Theol. Gentil. Cimb.* pag. 17. & VERELII Diss. de *Fanin.* Hodie in malam partem accipitur; olim optimum habebat sensum.

(2) Vid. *Hist. Ynglingorum* pag. 8. & 9. edit. Wormianæ. Conf. SCHEFFERI *Upsalia Antiqua* Cap. 18. pag. 363.

TH. XXXIX.

Illic in memoriam defuncti non tantum scyphus, *Bragebægare* (1) dictus, epotabatur; verum etiam carminibus (2) laudes defuncti decantabantur.

(1) De hoc multis egit RHEENHIELM in *Not.* cit. pag. Conf. BIRCHERODII *Palæstra Antiquaria Disquisit. Curios.* pag. 119. *Bragebægare* sunt Heroibus consecrata pocula.

(2) Conf. RHYZELIUS in sæp. alleg. Disp. Cap. 8. pag. 104 Hujus generis est Carmen *Hakonar maol* ap. STURLESONIUM in *Hist. Reg. Norweg.* P. I. pag. 163. & seqq.

TH. XL.

Hæc eadem & in *ætate tumulorum* fiebant, quam ab *ætate cremationis*; solis ritibus tumulationi propriis diversam fuisse, jure nobis statuere posse videmur.

Conf. Thes. V. & VI.

TH.

Digitized by Google

TH. XLI.

In utraque ætate monumenta mortuis ſtatuebantur duorum generum: Cippi nimirum Runici & tumuli ſepulcrales. Illud Othini mandato, hoc exemplo Freyi (1) introductum fuit.

(1) Teſte STURLESONIO in *Hiſt. Ynglingorum* Cap. 8. pap. 10. conf. STEPHANIUS in *Not. ad Sak. Grammat.* pag. 91.

TH. XLII.

Monumenta utriusque generis non tantum illis erigebantur, qui in loco, quo cippus erectus, tumulusve factus, verum etiam iis, qui peregre mortui ſepultique erant; adeoque & iis procul dubio, quorum corpora ne ad ſepulturam quidem exſtabant. Hujusmodi cippi tumulique, ut a ceteris diſtinguantur, *honorarii* dici ſolent (1).

(1) Vid. RHODIUS in *Antiquit. Cabinet* pag. 8. & 11. & *Antiqu. Remarqu.* pag. 255. Exempla ex Hiſtoria patria adduxi in Tr. meo ſub. cit. MSC. conf. PERINGSK. *Monumenta Uplandica, per Thiundiam* pag. 220. Quin & vivis talia erecta fuiſſe monumenta, docent VERELIUS in *Runograph.* pag. 53. ARRHENIUS in Diſp. *de Fierdhundria* pag. 108. & BARTHOLINUS in *Antiqu. Dan.* pag. 146. & 514. in fin.

TH. XLIII.

Non igitur mirum, quod in tumulis nonnnullis nulla prorſus inveniantur cadaveris illati veſtigia. Arma quidem deprehendas nonnunquam. Sed quæ pro veris hoc caſu haberi non poſſunt.

(1) Vid.

Digitized by Google

(1) Vid. DYCKMAN in Tr. *de Lapidibus Runicis* pag. 44. 46. 52. 59. 66. 70. 74. 78. 109. 136. 135. & 141.

TH. XLIV.

Cippos tumulosque erigendos faciendosque curabat uxor viro, & vice versa, vir uxori, Patri filius, filio Pater, amicus amico, Duci exercitus. Quid? quod amatori suo (1) amasia hoc officii genus præstitisse legitur.

(1) Ap. WORMIUM in *Monum. Dan.* Lib. 17. pag. 485.

TH. XLV.

Nonnunquam tumulis confectis superimpositi fuerunt (1) cippi; geminato monumenti honore.

(1) Plurima hujus generis monumenta in Svecia & Dania occurrunt.

TH. XLVI.

Inter cippos autem illi maxime sunt notabiles, qui inscriptionibus vel figuris insculptis (1) sunt insigniti, quosque *lapides Runicos* vulgo dicunt; præsertim cum ad illustrandas antiquitates nostras plurimum conferant, & alibi (2) hujusmodi monumenta non exstent.

(1) Monumenta nullis literis figurisve notata non admodum multa per Septentrionem inveniuntur. Vid. PERINGSKIöLDII *Monum. Ullerakerens.* pag. 322.

(2) Nisi quod in Tartaria simile quid observatum, testatur Generos. Dnus *von* STRAHLENBERG & Cel. Dnus HENR. BRENNER; ille in dem Vorbericht seines Werckes von der grossen Tartarey; hic in *Epistola ad Reverendiss. Dn. Episcopum Ericum Benzelium*

zelium pag. 105., quæ ad calcem *Epitomes Comment. Mosis Armeni de Origine & Regibus Armenorum* habetur.

TH. XLVII.

Ætatem lapidum Runicorum quod attinet, eos nonnulli (1) post tempora demum invecti Christianismi positos putant. Quod tamen neutiquam concedi debet; licet permultos post Christiana sacra Septentrioni illata erectos lubenter fateamur.

(1) Hac de re in Tr. meo MSC. sup. cit. pluribus egi. Conf. *Acta lit. Sveciæ* de A. 1727. Trim. 233. pag. 272. seqq. & 313. seqq. & SPERLINGIUS in *literis ad Rhodium* datis, quæ in citt. *Antiquit. Remarqu.* legi possunt.

TH. XLVIII.

Antiquior sane est lapidum Runicorum in Septentrione usus, ideoque optandum, ut ad quam quisque ætatem referendus sit, rerum harum periti (1) justo opere docere vellent.

(1) Operam hanc. orbi erudito gratissimam, in *Actis Literariis Sveciæ* per particulas præstandam bonis avibus suscepit Summe Rev. Dn. D. OLAVUS CELSIUS, eruditæ Sveciæ lumen clarissimum.

TH. XLIX.

Ex ductibus literarum & picturæ elegantia de ætate lapidis judicium fieri posse, probabilis est b. VERELII (1) sententia: dummodo simul aliarum περιστάσεων (quorsum refero nomen sculptoris, sepulti, & occasionem auctoremque positi lapidis) consideratio non negligatur.

(1) In *Runographia Scandica* Cap. V. pag. 20.

TH. L.

Figuræ in lapidibus Runicis occurrunt hominum, equorum, luporum, ovium, aliorumque animalium, pauciorum pluriumve, modo hoc, modo alio (1) ordine positorum; prout vel requisivit Hieroglyphica rerum gestarum, ad defunctum pertinentium, repræsentatio, majoribus nostris usitata, vel sculptoris, industriam suam ostensuri voluit arbitrium.

(1) Exempla habemus luculenta ap. PERINGSKIöLDIUM in *Monum. Ullerakerens.* Sect. II. Cap. 44. & 45. pag. 333. & 339.

TH. LI.

Figura crucis in lapidibus Runicis non semper crucem Christi designat, nec adeo lapides ea notatos post Christianismum Septentrioni illatum positos esse semper probat. Nonnunquam enim pro malleo Thori (1) commode haberi potest.

(1) Videsis SALANUM in *Not. ad Egilli & Asmundi Histor.* pag. 150. Conf. *Acta Literar. Sveciæ* de anno 1727. Trimestr. I. pag. 241. seqq. Canopi, Ægyptiorum Numinis, effigies apud. TROGILL. ARNKIEL in seinem Cimbrischen Heydenthum Cap. 6. §. 2. pag. 52. Complures habet crucis figuras, iis non absimiles, quæ in cippis nostris cernuntur.

TH. LII.

Inscriptiones lapidum Runicorum in Svecia pleræque in exuviis veluti serpentum, multifariam contorta-

tortarum; in Dania autem & Norvegia inter duas lineas rectas, plerumque exaratæ ſunt.

(1) Vid. delineationes lapidum Runicorum apud BONGIUM, VERELIUM, PERINGSKIöLDIUM, WORMIUM, aliosque, occurrentes. BONGIUS in *Hiſt. Eccleſ.* P. I. L. VII. Cap. IX: pag. 372. nullas in Svecia inveniri putat inſcriptiones hujus generis, exuviis ſerpentum non inſculptas. Sed eum ſatis refellit PERINGSK. *Monum. Upland per Thiundiam* pag. 275. & *Monum. Ullerakerenſ.* pag. 322. & 344. Conf. WALLINI Diſſ. de *Oelandia* pag. 63.

TH. LIII.

Sunt autem inſcriptiones dictæ modo breviores, modo longiores; & nonnunquam quidem res continent (1) valde memorabiles; plerumque tamen nomina tantum ejus, qui lapidem poni curavit, cui poſitus eſt, & qui literas ſculpſit. Adduntur interdum cognatorum uxorisque nomina, genus locusque mortis, & alia.

(1) Vid. Dykman in Tr. *de Lapidibus Runicis* pag. 31, 49, 55, 66, 92, 103, 162, 149, 167, 180, & paſſim. PERINGSKIöLD in *Annot. ad Vit. Theodorici* pag. 494. & alii.

TH. LIV.

Lapides Runici, uti magnitudine & figura, ita & poſitu variant. Alii enim erecti ſtant, alii humi (1) jacent. Sed hic poſitus rarior eſt, & tum demum adhibitus, cum inſcriptio totum lapidem occupabat.

(1) Exempla paſſim apud VERELIUM, WORMIUM PERINGSKIöLDIUM, aliosque occurrunt. Conf.

Digitized by Google

hujus *Ættartal* pag 1. 2. 3. & 14. WORMII Monum. Dan. in Addit. pag. 21. & Monum. Lit. 3. p. 176.

TH. LV.

Nonnunquam, nullis erectis lapidibus, inscriptiones rupibus insculptæ fuernnt. Cujus moris unum alterumve exemplum supereſt.

(1) Conf. Dykman sup. cit. loc. pag. 142. & Disp. Upſ. HESSELGRENII de *Dalia* pag. 62. ubi non runas quidem, ſed figuras, monti inciſas commemorat.

TH. LVI.

Uſum lapidum Runicorum in Hiſtoria (1) Civili & Eccleſiaſtica, Genealogia, Heraldica & Studio Critico, & alibi in Tract. meo ſæpius cit. oſtendi.

(1) Quantum in vindicandis majorum noſtrorum priſcis expeditionibus PERINGSKIöLDIO præſtiterint uſum, ex annotat. ad *Vit. Theodor.* paſſim, liquet. Conf. *Act. Lit. Sv.* de A. 1727. Trim. I. pag. 237.

TH. LVII.

Lingua vernacula priſca Monumenta hujusmodi *Bautaſteinar* dicuntur, quos cum lapidibus victorialibus, *Segerſtenar* dictis, male confudit (1) KEYSLERUS. De hiſce, lapidibus victorialibus puta, credidit ſuperſtitio priſtina, eos poſſeſſori ſuo, quoties eos ſecum haberet, certam de hoſtibus daturos victoriam: quod ex relatione veteri de Thetleſo & Sigurdo (2) aliisque conſtat.

(1) In *Selectis Antiquit. Septentr.* pag. 100.

(2) In

Digitized by Google

(2) In *Hist. Wilkini* pag 117. & *Thorsteni Wikingii Historia* Cap. 16. pag 87.

TH. LVIII.

Descriptionem lapidum Runicorum aggressi sunt inter alios HADORPHIUS & DYKMANNUS, ex qvibus hujus opus lingua vernacula nuper editum est, illius in MSC. adhuc latet. Plenissimam autem & exactissimam ab Cl. Dno HELIN, (1) Secretario Archivi Antiquitatum Stockholmensis, exspectamus.

(1) Vid. S. R. OLAV. CELSII *Runa Medelpadica ab importuna crisi vindicata* pag. 36. in fin.

TH. LIX.

Sed missis lapidibus Runicis, ad tumulos sepulcrales considerandos transitum facimus. Qui qvidem ad speciem externam quod attinet, valde dissimiles sunt. Aliqui enim arboribus, floribus, lapidibusve decenti ordine circumpositis exornati (1) sunt, alii omnibus ornamentis carent.

(1) Vid. Monum. *Niordi* & *Biörni Jarnsida* apud PERINGSKIOELDIUM in *Genealogia Regum Sveciæ* pag. 8. & 33. Monumentum Ottari apud eundem c. l. pag. 12. Conf. WORMIUS in *Monum. Dan.* Lib. I. pag. 8. 35. & 38. in Additam. pag. 8. & 13.

TH. LX.

In vertice quorundam tumulorum lapides magni positi speciem altarium præbent, sacrificiis anniversariis (1) pro mortuis faciendis destinatorum.

Cujusmodi tumuli in Pomerania *Hünengræber*, ſed magis ex uſu vulgi, quam ex rei veritate vocantur.

(1) Vid WORMIUS in *Monum cit.* pag. 8. Conf. RHODII *Antiquit. Remarqu.* pag. 390. & KOHLII *Specim* cit. pag. 34.

TH. LXI.

Ut ſpecie, formaque, ita magnitudine quoque differunt tumuli ſepulcrales, Circa quam notandum, non ſemper valere regulam (1) à viris doctis traditam, ſub magnis viros magnæ dignationis, ſub parvis contra tenuis ſortis homines ſitos eſſe.

(1) Quam tuentur SCHEFFERUS in Tract. de *Tribus Orbibus Aureis* pag. 16. MESSENIUS in *Sveopentaprotopoli* C. 3. pag. 20. Conf. erläutertes Preussen Tom. III. pag. 400. & Tom. 4. pag. 81. & 82. HECHTIUS c. l. p. 158. & Mag. WEISSIUS in *Antiquitat. Miſnico-Saxon.* Lib. 2. Cap. 27. pag. 492.

TH. LXII.

Tum demum Regulum, vel alium virum in dignitate conſtitutum ſub tumulo majori ſepultum tuto concludi poteſt, cum ſaxa lapideſque ingentes offenduntur, qui ſine multorum (1) hominum opera illuc advehi non potuerunt, & nullæ ſuperſtructiones (2) comparent. Quæ ubi adſunt, conjecturam, a magno tumulo de magnitudine dignitateque tumulati captam, fallacem reddunt.

(1) Vid. WORM. *Monum. Dan.* pag. 39. ubi ex Saxon. Lib. X. refert, Haraldum Blaatand, Daniæ Regem ſaxum maximæ molis junctis hominum boumque copiis, quo

quo matris tumulum insigniret, abstrahi jussisse. Conf. WEISSIUS in *Antiquitat. Misnico-Saxon.* c. l. pag. 492. *&* *Acta literar. Sveciæ* de anno 1725. Trim. 2. pag. 34. seqq.

(2) Vid. RHODII *Antiqu. Remarqu.* pag, 390. Conf. infra Th. 69.

TH. LXIII.

Tumuli alii rotundi sunt, alii oblongi, alii angulati, & quidem modo regularis modo, irregularis figuræ, sub rotundis semper plures (1) sepultos esse, non ubique verum esse, experientia constat.

(1) Vidi RHODII *Antiquit. Remarqu.* pag. 389. & 390. Conf. Mag. CHRIST. FRIED. REUSCHENS Nachricht von Preußischen Grab-Hügeln und Aschen-Töpffen in dem erleuterten Preussen Tom. 3. pag. 545. & 402.

TH. LXIV.

Licet tumulos nonnullos jam ab aliis perquisitos esse vestigia prodant residua: tamen hæc hominem antiquitatis curiosum ab iterata perquisitione, quæ sæpenumero haud frustra suscepta (1) fuit, absterrere non debent.

(1) Exempli loco esse potest tumulus Weitenhagensis, qui licet intactus non esset, tamen non incassum nuper perquisitus est.

TH. LXV.

In tumulis aperiendis non eadem omnibus probatur ratio. Sunt, qui tumulos majores ab oriente occidentem versus recta linea perfodiendos censent, minores

Digitized by Google

nores autem totos subvertendos. Aliis alia (1) methodus placet.

(1) Conf. Dn. Mag. REUSCH in dem erleuterten Preussen Tom. 4. pag. 139.

TH. LXVI.

Meo judicio consvetudo mortuos tumulandi, in quaque regione recepta, attendi debet. Qvæ partim ex libris, partim experimentis addiscenda est.

TH. LXVII.

In Svecia & Norwegia defuncti in tumulis à septentrione (1) meridiem versus, in Dania ab Oriente ad Occidentem collocati sunt. Quod in tumulis harum regionnm aperiendis observari potest, licet fortasse exceptionibus nonnunquam obnoxia sit hæc regula.

(1) Rationem hanc subministrat RUDBECKIUS in *Atlant.* Tom. 2. C. 5. pag. 398 quod, nimirum, in tumulo faciendo solis cursum secuti sint majores nostri.

TH. LXVIII.

Positum cadaverum tumulatorum varium deprehendere licet. Alia enim jacent, alia erecta stant, alia sedent. (1)

(1) Vid. Exempla in *Rolfi Pedestris vita* Cap. 3. BARTHOL. Tr. de *Causis contemtæ a Danis mortis* pag. 572. & ap. RHENHIELM. l. sup. c. pag. 27.

TH. LXIX.

Structura tumulorum interna itidem multum variat.

Digitized by Google

variat. Alii enim arena congesta maximam partem constant, loco tantum, ubi urna posita est, lapidibus circumpositus utcunque munito. Alii laquearibus lapideis & pluribus concamerationibus sunt instructi. Alii denique pluribus constant contignationibus (1), quarum unaquæque suas urnas continet.

(1) *Hervara Historia* Cap. VI. pap. 86. concamerationum plurium unius tumuli mentionem facit, & de tumulo *Hrolfi Krakii* referunt Scriptores, in eo pro singulis ministris, una cum Rege dicto tumulatis, singula facta fuisse conclavia. Nec de contignarionibus silent, cujusmodi quinque in uno tumulo, unam super alia sese invenisse scribit VERELIUS, in *Not. ad Hist. Sother & Rolf.* pag. 82.

TH. LXX.

Hinc sequitur, in tumulis sepulcralibus perquirendis non prius cessandum, quam ad terram incultam, vulgo die wilde Erde, fuerit ventum; ne, si prius cessatum fuerit, substructiones aliquæ intactæ & inexploratæ linquantur (1).

(1) Id quod & tum observandum, cum nulla laquearia lapidea adsunt.

TH. XXI.

Plures cautelas, in aperiendis perquirendisque tumulis sepulcralibus observandas, subministrat (1) RHODIUS; qui iis quoque respondet, qui hoc innoxium sciendi desiderium damnant, & homines Antiquitatis curiosos *bustuarios latrones* compellare non verentur.

(1) In *Antiquit. Remarqu.* pag. 352. & 243. Conf. HECH-

TII *bustum Lusatiæ* in *Miscell. Lips.* Tom. 7. pag 243. & M. REUSCH im *erläuterten Preussen* Tom. IV. pag. 137.

TH. LXXII.

Usus sane hujusmodi inquisitionis, quem in pluribus elegantiorum literarum partibus præstat, non contemnendus est, & ab aliis jam ante idoneis argumentis demonstratus (1).

(1) Vid. RHODII *Antiquit. Remarqu.* peg. 367. & 368. Ubi Antiquitatum, in tumulis inventarum ope Holsatiæ suæ priscis temporibus artificum quorumcunque copiam non defuisse evincit.

TH. LXXIII.

Sin eo fine suscipiatur, ut urnæ aliquæ eruantur, quæ superstitioni male feriatorum hominum inserviant (1), ingens quidem est rei in se bonæ abusus. Propter quem tamen usus neutiquam tolli potest.

(1) Superstitiones, quæ urnarum sepulcralium ope exercentur, persequitur JOH. SINAPIUS in *Oelsnographia* P. 2. Sect. 3. pag. 657. & M. REUSCH c. l. pag. 98. Conf. pag. 95. ubi ridiculas vulgi de origine urnarum opiniones persequitur.

TH. XXIV.

Ceterum inventis urnis sepulcralibus haud raro (1) illustrata sunt loca, quæ absque iis si fuisset, haud dubie semper in obscuro mansissent. Inter quæ pagum *Weitenhagen*, dimidio milliari ab hac urbe (Gryphiswaldia) distantem, merito connumeramus.

(1) Exempla collegit FABRICIUS in *Præfat. ad Rhodii Antiquit.*

Digitized by Google

Antiquit. Remarques pag. 2. KEYSLERUS in *Antiquit. Septentr.* pag. 110. seqq. II. J. Rhodius in erläut. Preuss. T. III. pag. 404.

TH. XXV.

Haud procul a pago dicto magnus urnarum numerus anno MDCCXXVII. erutus est; quarum aliquot, meis sumtibus effossas, lignoque incisas, oculis lectorum heic subjicio (1).

(1) Reliquas, quæ sumtibus hujus Academiæ erutæ fuerunt, Celeb. D. Professor. ANDREAS WESTPHAL, Collega meus honoratissimus, peculiari Diss. Academica sese descripturum & illustraturum promisit.

TH. LVXXI.

Numerus earum, quas æstate anni dicti prope pagum memoratum effossas fuisse constat, supra (1) CL. assurgit; non connumeratis iis, quæ, dum eruerentur, confractæ sunt.

(1) Causa, cur numerus accurrate satis determinari nequeat, ex Th. proxime sequenti patebit.

TH. LXXVII.

Optandum fuisset, ut Domini fundi majore diligentia curare voluissent, ut & numerus certius sciri, & nobis constare posset, nullum insigne antiquitatis monumentum, urnis a quibuslibet promiscue effossis, deperditum, vel ad possessorem imperitum pervenisse (1).

(1) Quomodo post detectum locum harum urnarum sese gesserint Domini fundi in hoc puncto, in Tr. sup. cit. MSC. pluribus exposui.

Digitized by Google

TH. LXXVIII.

Locus, quo inventæ sunt urnæ prædictæ, ab pago Weitenhagen, ut vulgus loqui amat, auff ei- nen Canonen-Schuß, abest. Campo circumjecto parum vel nihil (1) editior, respectu pagi versus regionem australem & occidentalem situs, & totus arenosus est.

(1) Et alibi in loco arenoso prope viam in planitie inventas esse urnas sepulcrales, docet Masselensium exemplum, referente Dn. D. OEHMBIO in *Silesiographia renovata Henelii* pag. 376.

TH. LXXIX.

Urnas nostras alias vix dimidiam, alias totam, alias denique, sed paucas, duas tresve ulnas (1) arenæ immersas invenimus, Nonnullæ aliis superimpositæ, aliæ vero juxta alias collocatæ fuerunt, tam exiguo intervallo, ut effodienda una, quin proxima rumperetur, caveri non potuerit.

(1) Masselensium aliquas in ipsa superficie terræ inventas refert SINAPI sup. cit. loc. pag. 665. idemque de Wiltschensibus ex relatione Dn. D. OEHMBII c. l. pag. 377. constat.

TH. LXXX.

Nonnullæ urnarum Weitenhagensium lapidibus (1) majoribus minoribusve undiquaque probe septæ; aliæ absque ullo munimento in arena collocatæ fuerunt. Nonnunquam cineres & ossa sine urna invenimus: quæ fortasse vel temporis diuturnitate, vel suomet vitio absumta fuerat.

(1) REUSCHIUS im erläutert. Preussen, T. IV. pag. 83. tumulum

tumulum lapidibus probe munitum viri magnæ dignationis, iis autem destitutos, vulgares exuvias continere verisimiliter putat.

TH. LXXXI.

Opercula justa urnarum nostrarum, quod tamen alibi (1) factum, nulla inventa sunt. Aliquarum tamen ora lapidibus satis magnis tecta erant, aliqua absque ullo tegumento relicta.

(1) Quod de Polonia, Silesia, Misnia, aliisque locis refert A MELLEN de urnis Sarmaticis pag. 7. De sepultorum dignitate ex operculis urnarum conjecturam capi posse, existimat REUSCHIUS l. c. pag. 124.

TH. LXXXII.

Figuræ earum, cum ex tabellis adjectis perspici possit, describendæ non immorabor. Aliquot earum ansas habent, sed admodum parvas: pleraque vero nullas prorsus. Nonnullæ, sed & illæ rariores, linearum ductibus punctulisque exornatæ sunt. Omnes autem fundum habent planum, ita ut sine fulcimento stare possint (1).

(1) Quales & Lusaticæ fuerunt, ab Cl. HECHTIO in *Miscellaneis Lips.* Tom. VII. pag. 158. exhibitæ.

TH. LXXXIII.

Magnitudine multum differre nostras, itidem tabellæ prædictæ docent. Una, me præsente eruta, tres in circuitu ulnas & altitudine tres quartas ulnæ partes continebat (1); sed per vicinas alias minores, quibus cincta erat, & quod fundus jam vitium fece-

rat, integra servari non potuit. Aliæ perparvæ sunt, quibus ideo cineres tantummodo infantum asservatos conjicio: ut ex ossium exigua mole quoque colligi potest. Aliæ contra ejus sunt magnitudinis, ut ei, de qua modo dixi, parum cedant.

(1) Hæc magnitudinis ergo, ut verbis utar TENZELII in *Dialogis Menstruis* de Anno 1698. pag. 654. Eine Groß-Mutter derer *urnen* dici jure meritoque potest. Urnarum autem magnitudine insignium exempla plura occurrunt ap. M. JUST. CHRISTOPH. THORSCHMIDT in *Antiqu. Plocens.* pag. 69. & 110. in dem erläuterten Preussen Tom. III. pag. 543. 552. 561. & 574. ap. RHODIUM in *Antiquit. Remarqu.* pag. 391. & 439. Dn. SINAPI in *Oelsnographia* P. 1. Sect. 3. pag. 662. & al. pl.

TH. LXXXIV.

Materia urnarum Weitenhagensium plerarumque terra vulgaris argillacea est. Paucæ ex nescio qua rutilanti mixtura constant. Colore pleræque omnes subrubro sunt, aliæ nigricanti. Aliæ scabræ, læves aliæ (1).

(1) Quod Dn. D. OEHMBIUS sup. cit. loc. pag. 376. de urnis Wiltschensibus: Einige haben gerade auf eine Weite, und diese sind insgemein gantz rauch; Andere haben unten einen Bauch, aus welchen ein etwan engerer Halß in die Höhe steiget, und diese sind glatt, de nostris itidem ut plurimum dici potest.

Th. LXXXV.

Aureas, argenteas, Chrystallinas vitreasque nobis invidit fortuna (1); haud dubie, quod auro argen-

Digitized by Google

argentoque rectius uti sciverunt (2) Pomerani vel priscis temporibus pretiosorum metallorum exiguam admodum habuere copiam.

(1) De urnis aureis. argenteis, Chrystallinis vitreisque vid. RHODII *Antiquit Remarques* passim, HECHTIUS l. c. pag. 224. seqq. WORMIUS in *Monum.* pag. 43. aliique. Huc pertinet magni JCti Papiniani urna argentea, quam apud REYHERUM in *Hist. Jur.* pag. 85. delineatam videsis.

(2) Hanc rationem urnarum fictilium ab Germanis usitatarum de universa Germania affert HECHTIUS in Busto Lusatiæ pag. 228. Conf. REUSCHIUS im Erläut. Preuß. T. IV. p. 104.

TH. LXXXVI.

Urnæ omnes, quas ego eruendas curavi, cineribus, ossibus & arena repletæ fuerunt. Unde concludo, Pomeranis in more positum non fuisse, urnas cibo potuque refertas, aut armis condendis destinatas, reliquis adponere, quod alibi (1) factitatum: nec distincta ossuaria & cineraria habuisse (2)

(1) Vid. SINAPII *Oelsnographia* P. 2. pag. 669. RHODII *Antiquit. Remarqu.* pag. & VERELIUS in *Not. ad Hist. Gotber. & Rolf.* pag. 82.

(2) Conf. REUSCH. l. c. pag. 94.

TH. LXXXVII.

Nec urnas lacrimales inveni, quæ tamen & ipsæ in aliis locis nonnunquam inventæ (1), & nec Slavis prorsus incognitæ fuerunt.

(1) Vid. Erläutertes Preussen Tom. III. pag. 543. 558. & 581. HECHTII *Bustum Lusatiæ in Miscellaneis Lipf.* Tom. 7. pag. 247. seqq. & al. pl.

TH. LXXXVIII

Digitized by Google

TH. LXXXVIII.

Loculamentis (1) plane destituuntur urnæ nostræ, unica tantum concavitate constantes. Nec ulla dedita opera alteri inserta est. Casu tamen potuit accidere, ut superior, mole gravata, in cavitatem alterius detruderetur.

(1) De quibus vid. OLEARIUS, & exeo HENELIUS in *Silesiographia* pag. 380. Conf. HECHTIUS c. l. pag. 242. BEYERUS in *Thesauro* Tom. III. pag. 471. & KIRCHMANNUS de *fum. Roman.* Lib. III. Cap. 14.

TH. LXXXIX.

Præter cineres arenamque, ossibus superimposita (1) pleraque, inveni duos gladios magnitudinis, præsertim si latitudinem spectes, insignis, multis plicaturis complicatos, frameas totidem, fragmentum cassidis ferreæ, tres fibulas & alia viliora ferramenta. Quibus addi potest Ahenum cupreum, ossibus, cineribus & arena, eodem modo quo urnæ, repletum (2)

(1) Juxta, infraque urnas itemque supra easdem, nihil inveni simile: quod alibi factum docet Erläutertes Preussen Tom. III. pag. 410. & 543. RHOD. l. sæp. c. pag. 3. & 7.

(2) Quid invenerit Cel. Dnus Profess. WESTPHAL, ipse suo tempore orbem eruditum docebit.

TH. XC.

Urna maxima, Thes. 83. memorata, & ahenum cupreum modo dictum, tanta ad summum usque referta erant ossium vi, magnitudinis diversæ, ut inde

Digitized by Google

de hand abſurde mihi videar colligere poſſe, in eorum ſingulis non viri tantum in dignitate conſtituti, ſed uxoris etiam, liberorum, amicorum ſervorumve, ad minimum autem plurium, quam unius hominis, oſſa (1) fuiſſe recondita.

(1) Cel. *à* MELLEN in Tr. de *urnis Sarmaticis* meam conjecturam ſimili ſua confirmat. Cum quo tamen non facio, dum diverſis temporibus plurium hominum oſſa in unam urnam congeſta putat. mihi enim ſimul factum videtur per th. ſup. 16. 17. & 18.

TH. XCI.

Oſſa nonnulla, antequam urnæ inderentur, malleo vel lapide contuſa fuiſſe, manifeſta ictuum docent (1) veſtigia. Quod haud dubie propter exiguam urnæ, præprimis oris, capacitatem, magna oſſa non admittentem, factum.

(1) Quæ in oſſe magno in urna non multum capaci, etiamnum ſpectari poſſunt.

TH. XCII.

Qvoniam oſſa nullæ magnitudinis ſolito majoris deprehendi, nullos hic locorum eo tempore habitaſſe gigantes, infero.

TH. XCIII.

Filamenta, quæ in nonnullis urnis reperi, capillos mentiuntur quidem. Sed pro talibus haberi nequeunt; cum capillos urnis (1) indere nullo tempore in Pomerania uſu receptum fuerit.

(1) Conf. hac de re HECHTIUS in *Buſto Luſat.* pag. 253. & erläutertes Preuſſen Tom. III. pag. 419. ſeqq.

Digitized by Google

TH. XCIV.

In una urnarum dictarum supra cineres duos inveni lapides sat magnos, quibus demum ossa superimposita erant. Qui qua de causa urna reconditi fuerint, sagacioribus dijudicandum relinquo. Mihi tale quid antea nunquam occurrit.

TH. XCV.

Lapides victoriales fuisse, de quibus supra injecta est mentio, affirmare non audeo. Nec eorum in bello aliquem usum fuisse puto. Sunt enim majores, quam ut eos quis funda ejaculari commode possit.

TH. XCVI.

Hoc tamen de alio minori facile admiserim, quem in alia urna, una cum gladio & framea deprehendi (1).

(1) Lapides rotundos, silices & arma lapidea in urnis subinde inveniri, satis notum est. Vid. SCHMINCKII Diss. *de urnis sepulchralibus & armis lapideis veterum Cattorum.*

TH. XCVII.

Gladii ideo complicati sunt, ut in urna locum invenire possent (1).

(1) Aliam rationem affert Cel. Dn. Prof. J. J. RHODIUS im erläuterten Preussen Tom. 3. pag. 416.

TH. XCVIII.

Magnitudo eorum satis comprobat, eos ambabus manibus debuisse vibrari, & caedendo aptiores fuisse, quam pungendo. Unde eos quoque ad vera arma referendos puto.

TH. XCIX.

Digitized by Google

TH. XCIX

Framearum Thesi LXXXIX. commemoratarum una spithamam unam, altera duplo longior est: & hæc quidem insuper unco instructa, quo, in hostem projecta retrahi posset (1).

(1) Delineationem harum & ceterarum rerum, quarum in th. 89. mentionem feci, in opere sup. dicto dabo.

TH. C.

Fibulæ, quas inveni, iis non absimiles sunt, quas in Holsatia (1) detexit RHODIUS, Mearum una cuprea, reliquæ ferreæ sunt.

(1) Vid. ejus *Antiquit. Remarqu.* pag. 341.

TH. CI.

Annon hinc colligi possit, cadavera heic locorum non nuda, sed vestita olim cremata fuisse peritorum judicio permitto.

TH. CII.

In loco, ubi inventæ sunt urnæ nostræ, olim habitum fuisse prælium, in Annalibus Pomeraniæ adhuc non inveni. Videtur itaque dicendum, fuisse heic commune sepulcretum vicini tractus, cum ipsa urnarum copia obstet, quo minus illud uni familiæ proprium fuisse statuamus.

TH. CIII.

Unde hos mortuos cremandi ritus acceperint Pomerani, ex superioribus haud difficulter colligi potest: Ex septentrione nimirum, quo cum commercia habuerunt olim satis frequentia.

Digitized by Google


TH. CIV.

Quando in Pomerania coeperit & desierit in usu esse cadaverum crematio, rerum Pomeranicarum gnaris inquirendum relinquo. WACKENRODIUS (1) Præpositus Leuticiensis, paulo ante Christum natum cremandi ritum in hisce oris coepisse refert.

(1) In *Chron. Rugiano* MSC. P.I. Lib.I. Cap. 8. & 10. nec non P. 2. Lib. I. Cap. 1.


TH. CV.

Reliqua, quæ de hac materia dici possent, in opere supra dicto plenius exponam. Nunc heic vela contraho, & errata, si qua forte admisi, iis corrigenda relinquo, quibus plus superest otii atque ingenii ad dispellendas, quæ nobis officiunt, antiquitatis tenebras.





Digitized by Google



Digitized by Google



Google